



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 16. Quisnam assumpserit, vel potuerit assumere?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

si non recurrat ad ea, quæ deducimus eo num. 675. nam quando negat Divus Thomas substantiam distinctam in Angelo, eam concedit in homine. Unde diversa tantum acceptione naturæ, uti diximus, debet desumi discrimen. Ex dictis

706. Fit 1. Illud axioma, quod *Verbum assumpti, nunquam dimisit*, solum intelligi de partibus essentialibus humanitatis, nempe de corpore, & anima, quæ nunquam dimisit, cum adhuc in triduo mortis retinuerit unionem, quamquam anima, & corpus inter se tunc unionem non habent. Ex quo apparet, quomodo non sit contra sensum hujus axiomatis, quod in triduo mortis dimiserit unionem naturalem, quam assumpserat inter corpus, & animam, & quod non assumpserit in Resurrectione aliquas guttas sanguinis, ut diximus num.

693. atque exinde etiam intelligitur, quomodo dimiserit eas partes tenuissimas, quæ vi nutritionis resolvuntur. Fit 2. Verbum divinum non solum assumpsisse naturam humanam metaphysicè consideratam, verum eam assumpsisse secundum omnia substantialia requisita ad essentiam, & integrale complementum ipsius. Quamobrem, licet unio necens corpus, & animam inter se, non sit natura; at quia est de essentiali, & substantiali constitutivo naturæ, fuit verè assumpra à Verbo; unde ea unio naturalis erat respectu materiæ, & formæ, & erat extremum respectu unionis hypostaticæ, quæ uniebat illam cum Verbo; ad eum modum, quo forma rationalis est actus respectu materiæ primæ, & est subiectum respectu suorum actuum spirituum.

## DISPUTATIO XVI.

### QUISNAM ASSUMPSERIT, VEL POTUERIT ASSUMERE:

707. Certum est, solum Verbum, seu secundam Trinitatis personam defacto assumpsisse humanitatem, ut contra Hæreticos dixi num. 246. cur autem Verbum, non autem Pater, aut Spiritus Sanctus humanitatem assumpserit, non aliam certam rationem reddere possumus, nisi decretum divinum per Fidem nobis cognitum, licet sint plures congruentiæ, quas tradit Ex. Doct. disp. 12. f. 5. & dedimus n. 255. Cæterum, quia Verbo divino duo sunt prædicata, sive duæ virtualitates inter se distinctæ, nempe filiatio propria secundæ personæ, & natura toti Trinitati communis, quæ est prædicatum absolutum; difficultas est non modica, quænam ex his assumpserit immediatè humanitatem? cur autem ratione mysterii Incarnationis dicatur Filius DEI ad Philipp. 2. *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, explicant latè expositores, præsertim Eutymius, & Theophilactus; non enim talis dicitur, quia fuerit homo latens, & occultans humanitatem, sicut fit in Eucharistia, sed quia fuit homo, etiam quoad exteriorem apparentiam, & quia tantum apparebat homo, cum reverà esset homo DEUS; unde in isto testimonio nomine *habitu* non significatur vestimentum, sed figura exterior, & sensus est, quod Filius DEI quoad extimam figuram apparuit ut homo de turba, cum non solum esset homo, sed etiam DEUS æqualis Patri. His positis sit

### SECTIO I.

#### De Terminò assumente, & assumptivo.

708. Prima sententia docet, humanitatem fuisse immediatè unitam Verbo duplici unione, altera quidem, qua immediatè uniebat per-

sonalitati relativæ, quæ est propria Verbi; altera verò, qua uniebat per substantiam absolutam, quæ est communis Trinitati, quam substantiam absolutam Capreolus putat esse ipsam divinam existentiam. Ita Durandus in 3. dist. 1. & 4. & 5. quæst. 1. & Capreolus in 3. dist. 1. quæst. unic. Secunda sententia ait, humanitatem per unam tantum unionem immediatè uniri personæ Verbi, in quantum includit cum naturam communem; tum personalitatem propriam, ita ut humanitas æquè immediatè fuerit unita immediatione terminationis personalitati propriæ, ac naturæ communi. Ita plures Recentiores cum Nominalibus. Tertia sententia defendit, immediatè humanitatem uniri Verbo duntaxat secundum personalitatem propriam, & secundum naturam communem uniri tantum mediatè, quatenus ista personalitas unita trahit per se ad idem compositum naturam, cum qua identificatur; unde natura divina, & humana dicuntur unitæ verè, & propriè in Verbi personalitate; sicut duo arborum rami dicuntur verè, & propriè uniti in eodem tronco; ita Exim. Doct. disp. 21. sect. 2. Cajet. ad q. 3. Div. Thom. art. 2. Vasquez disp. 16. c. 3. quæ etiam tribuitur Alensi, Bonaventuræ, Scoto, & communi Theologorum.

Affero 1. contra primam sententiam: humanitas non unitur Verbo duplici unione, quarum altera unitur immediatè personalitati propriæ Verbi; altera verò substantiæ, sive existentiæ communi toti Trinitati. Prob. 1. ex Concilio Tolerano 6. can. 1. ubi ait: *cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tantum Filius susceperit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divini naturæ, id est in eo, quod proprium est Filii, non*

quod commune est Trinitati, quoniam constat, naturam Trinitatis esse, non tamen personam. Eadem ferè verba habentur in Concilio Toletano II. in Confessione Fidei; ex hoc enim testimonio constat, Verbum unitum esse humanitati, & terminasse unionem secundum proprium, quod in ipso est, non verò secundum id, quod in ipso est commune toti Trinitati; atqui si humanitas esset unita Verbo duplici unionem, quarum altera uniretur immediatè substantiæ, vel existentiae communi toti Trinitati, Verbum non solum terminasset unionem secundum id, quod est ipsi proprium, sed etiam secundum id, quod in ipso est commune toti Trinitati; ergo &c. Confirmatur ex Augustino Serm. 30. de tempore, ubi Filio DEI ait: *suscipit Filius carnem in proprietate &c. in carne sola Filii proprietate, non autem ab eo Patris, aut Spiritus Sancti recessit aliquando divinitas: cum ergo una sit Deitas, una Divinitas, implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus Sanctus, sed maiestate, non susceptione.* Ex quibus Augustini verbis ita informatur argumentum: si natura divina fuisset immediatè unita humanitati, non solum Filii proprietate, sed etiam natura Filii esset immediatè in carne; atqui ex Augustino in carne sola fuit Filii proprietate; ergo &c.

710. Probatur 2. ratione, quam & Concilia, & Augustinus insinuunt: ut Fide constat, solus Filius incarnatus est; atqui, si unio esset immediatè terminata ad naturam, non quidem solus Filius, sed tota Trinitas incarnata fuisset; ergo &c. Probatur min. quia Verbum est principium immediatè effectivum Incarnationis, & unionis secundum omnipotentiam communem toti Trinitati; ergo si Verbum esset terminus immediatus unionis non solum secundum proprietatem personalem, sed etiam secundum naturam divinam communem toti Trinitati non solum Verbum, sed etiam tota Trinitas incarnata foret.

711. Respondebis ex Durando, solum Verbum esse incarnatum; quia, licet ipsum solum non terminet unionem secundum naturam communem, eam tamen solitariè terminat secundum personalitatem propriam. Contrà tamen, quia ex hac responsione tantum inferri posset, Verbum divinum esse incarnatum duplici titulo, nimirum titulo prædicati relativi, & titulo prædicati absoluti, cum apud Adversarium immediatè uniat humanitati secundum relativum, & secundum absolutum; ad eum modum, quo si Verbum divinum produceret unionem non solum secundum prædicatum absolutum naturæ, & omnipotentiae divinæ, verum etiam secundum prædicatū, personale, dupliciter esset principium, ita nempe, ut secundum influxum peculiarem prædicati relativi esset principium peculiare, eo modo, quo non influerent Pater, & Spiritus Sanctus; at verò secundum influxum prædicati communis esset principium commune, ideòque simul influerent

Pater, & Spiritus Sanctus; ergo si Verbum divinum ita incarnatū fuisset, ut immediatè terminavisset duplicem unionem humanitatis; alteram quidem secundum prædicatum relativum, & alteram secundum prædicatum commune naturæ divinæ, erit incarnatum duplici titulo, ita nempe, ut vi tituli relativi maneat solum Verbum incarnatū; at verò vi naturæ divinæ immediatè unitæ manerent simul incarnati Pater, & Spiritus Sanctus, quod absque hæresi dici non potest.

Affero 2. contra secundam sententiam: Verbum divinum unitum est immediatè humanitati solum secundum personalitatem propriam, non autem secundum naturam communem. Probatur 1. Concilium Toletanum citatum n. 705. dicit, Filium DEI unitum esse naturæ humanæ in eo, quod est proprium Filii, non verò in eo, quod est commune toti Trinitati; tum etiam Augustinus ibi citatus docet, immediatè esse in carne solam Filii proprietatem; atqui si Verbum divinum unitum fuisset immediatè humanitati non tantum secundum personalitatem, sed etiam secundum naturam divinam, non solum esset incarnatum secundum id, quod est proprium Filii, verum etiam secundum id, quod commune est toti Trinitati, ut constat ex num. superiori; proindeque in carne eodem modo esset divinitas, ac Filii proprietate; ergo non fuisset incarnatum secundum prædicatum commune, sed tantum secundum propriam personalitatem. Confirmatur. Si Verbum divinum intelligeret aliquod objectum per cognitionem communem toti Trinitati, licet illud objectum diceretur cognitum à solo Filio per cognitionem notionalem, nihilominus diceretur etiam verè cognitum à Patre, & Spiritu Sancto per cognitionem communem; ergo si Verbum divinum terminasset immediatè unionem humanitatis, & secundum prædicatum relativum, & secundum prædicatum absolutum, licet vitæ terminationis relativæ solum Verbum foret incarnatum, tamen secundum terminationem communem essent quoque incarnati Pater, & Spiritus Sanctus.

712. Respondebis, Verbum divinum unitum fuisset immediatè in eo, quod est proprium, non verò in eo, quod est commune, eo quod unitum fuerit immediatè simpliciter illud complexum ex natura, & personalitate, quod complexum est proprium Filii, non verò naturæ secundum se consideratæ, quæ est communis toti Trinitati. Contrà tamen 1. Qui dicit, alicui constanti ex proprio, & communi aliquid convenire secundum proprium, & non secundum commune, non significat, illud convenire secundum complexum ex proprio, & communi, sed duntaxat secundum proprium, prout contradistinguitur à communi: sic loquuntur Concilium Tolet. & Augustinus de Verbo incarnato, ut constat ex illis verbis Concilii: *solum tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ.*

ra, id est, in eo, quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati; & ex illa locutione Augustini suscepta carnem proprietate: in carne sola Filii proprietate; ergo non potest, nisi contra doctrinam Concilii, & Augustini dici Verbum unitum esse immediatè in eo, quod est proprium, & quod unicum fuerit immediatè, & indivisibiliter complexum ex natura, & personalitate.

714. **Contra 2.** Qui dicit, hominem mori, & corrumpi secundum id, quod est materiale, non verò secundum id, quod est spirituale, non significat, hominem mori, & corrumpi secundum complexum; ita, ut utraque pars complexi, nimirum anima, & corpus moriatur, sed solum significat, hominem mori, & corrumpi secundum mortale contradistinctum ab anima spirituali, nempe secundum corpus, quod manet absque vita; ergo eo ipso, quod Concilium dicat, Verbum incarnatum esse in eo, quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati, non potest dici, quòd per ea verba significet, uniri immediatè in complexo ex proprio, & communi, sed tantum intelligi uniri immediatè secundum id, quod est prædicatum proprium, & non secundum id, quod est prædicatum commune. **Contra 3.** Quoties Concilia, & Patres dicunt, naturam humanam, & divinam verè, & propriè esse unitas; ut explicent, non uniri immediatè, sed in personalitate Verbi, subjungunt, unitas esse secundum subsistentiam; sic Concilium Lateranense can. 6. si quis non confitetur propriè, & verè ex duabus naturis, Deitate, & humanitate secundum subsistentiam unitatis inconfusè, & indivisim, eundem, & unum Christum esse, sit condemnatus: ergo quando dicunt, uniri secundum id, quod est proprium, & non secundum id, quod est commune, reverà intelligunt, Verbum divinum unitum fuisse immediatè humanitati solum secundum personalitatem propriam, non verò secundum complexum ex natura communi, & propria personalitate.

715. **Probatum 2. conclusio:** Verbum divinum immediatè unitum est humanitati secundum id duntaxat, per quod immediatè complet substantialiter humanitatem ad finem Mysterii; sed hoc modo solum complet immediatè, & substantialiter humanitatem secundum personalitatem propriam, non verò secundum naturam communem, neque secundum aggregatum ex natura communi, & personalitate propria; ergo &c. **Probatum min.** Natura humana, ut pote substantialiter completa in ratione naturæ, non completur substantialiter à natura divina in ratione naturæ, ut constat ex Patribus citatis à num. 487. & 607. neque ad finem Mysterii opus erat, quòd completeretur, nisi ut in alio subsisteret, & per ejus personalitatem substantialiter completeretur; atqui ad istum finem requiritur solum immediata unio cum personalitate Verbi, à qua substantialiter completur, ut humanitas in Verbo subsistat, non autem requiri-

tur unio immediata cum natura, & personalitate.

**Confirmatur:** quia juxta nostram doctrinam facile explicatur, quod juxta Adversarios vix, aut ne vix quidem explicari potest, nempe quo pacto, sicut in Trinitate tres divinæ personæ sunt unum in natura, non autem in persona; sic in Christo duæ naturæ sunt unum in persona, non autem in natura; nam sicut tres personæ sunt DEUS per unam naturam divinam, sic in Christo duæ naturæ subsistunt per unam divinam personalitatem; exinde etiam intelligitur, quomodo actio productiva unionis, que comperit Deo ratione prædicati communis, proveniat à tota Trinitate, & quomodo non conveniat toti Trinitati incarnari, eò quòd non conveniat Filio ratione prædicati communis, sed ratione personalitatis propriæ, quæ omnia bene tetigit, & expendit Divus Thomas 3. part. quæst. 3. artic. 2. in Corp. in Verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus ejus; esse autem assumptionis principium convenit naturæ divinæ secundum ipsam, quia ejus virtute assumptio facta sit; sed esse terminum assumptionis non convenit naturæ divinæ secundum ipsam, sed ratione personæ, in qua consideratur, & ideo primò quidem, & propriissime persona dicitur assumere secundariè, aut potest dici, quòd etiam natura assumptæ naturam ad sui personam, & secundum hunc modum dicitur natura incarnata, non quasi sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit: unde Damasceus dixit: dicimus naturam DEI incarnatam esse secundum Deum Ithanasium, & Cyrillum.

Hæc Divi Thomæ doctrina quàm maxime notanda est, ut intelligatur, quo in sensu dicantur verè, & propriè uniri in Christo natura humana, & divina non enim dicuntur uniri primariò, sive immediatè, sed tantum secundariò, sive secundum subsistentiam, quatenus subsistentia Verbi non potest non habere ad se naturam in composito, quod constituit substantialiter cum humanitate: nam verissimum est dicere, illud ipsum, quod subsistit in natura humana, subsistit in natura divina; & e converso; ex quo evanescit scrupulus Nicetæ, quilibet 3. Theol. cap. 11, absolute ait: *errare non caret, si naturam divinam incarnatam esse dicamus, vel si carnem à natura divina incarnatam fuisse dixerimus*; evanescit quidem iste scrupulus, quia non dicitur incarnatam per unionem immediatam ad carnem, sed mediatam quatenus unita est immediatè personalitati Verbi, quæ non potest intelligi in carne, quin ipsa trahat naturam divinam; nec est contrarietatem identitatis, ut infra videbimus. Quæ in ea locutione, ut ait Eximius Doctor, cum sit communis Divi Thomæ, & Sanctorum Patrum, non est, quod timeas. Ex quo etiam colligitur, personalitatem genitam non potest denominare naturam genitam, quamvis ad se trahat; quia natura est in se ipax talis demonstrans

nationis, eò quòd in divinis res genita distinguatur realiter à generante, & natura divina est incapax talis distinctionis realis à Patre, & natura mediata unita nullam exigit realem distinctionem à non unito, sicut natura communis non exigit realem distinctionem à personalitate non communi; quæ omnia facile inferuntur ex illo certissimo Theol. proloquio: in divinis omnia sunt communia ubi non obstat oppositio relativa, sive producentis, & producti.

718. Omitto aliorum probaitonem desumptam ex intrinseca impossibilitate naturæ divinæ, ut uniatu immediatè humanitati, nam hæc ratio pendet ab illa quæstione, in qua quæritur, an natura divina sit realiter, & virtualiter subsistentia absoluta, ita, ut præter tres subsistentias relativas detur etiam in DEO subsistentia absoluta, qua Deitas constituatur subsistens, licet non constituatur persona; eò quòd subsistentia absoluta non constituatur cum Deitate totum incommunicabile alteri personæ. Unde si natura divina ratione sui, & in se sit subsistentia absoluta, poterit substantialiter complere humanitatem in ratione subsistentis in alio, atque secundum dictum respectum posset terminare immediatè unionem humanitatis, quo in casu tres personæ divinæ incarnarentur, siquidem quæ Deo conveniunt ratione naturæ communis, sunt communia toti Trinitati. Cæterum si ea subsistentia absoluta repugnet, ut contendant plures cum Vaquez tom. 2. disput. 125. non posset natura divina uniri immediatè humanitati, & incarnari. Ratio est, quia cum natura humana sit substantialiter completa in ratione naturæ, & solum sit substantialiter incompleta in ratione subsistentis, in quantum caret propria subsistentia, non poterit natura divina immediatè uniri naturæ humanæ, nec aliter uniri, nisi secundum subsistentiam, ac proinde mediata.

719. Affero 3. plures divinæ personæ possent de potentia absoluta assumere unam numerò naturam, tum etiam una sola persona plures naturas. Probatu 1. una personalitas divina propter capacitatem suæ infinitudinis non excludit alteram ab eadem numerò natura, siquidem tres divinæ personalitates revera terminant eandem naturam divinam, nec limitatio naturæ humanæ impedit eam unionem, quandoquidem defacto, quamvis sit limitata, & finita; revera uniu personalitati infinitæ Verbi; ergo de potentia absoluta tres divinæ personæ poterunt assumere unam numerò naturam, & una etiam persona poterit assumere tres numerò naturas. Confirmatur: quia humanitas assumpta in tribus personalitatibus divinis non magis perficeretur à tribus, quam ab una sola, nec duæ humanitates assumptæ perficerentur minùs ab una sola divina personalitate, quam à duabus; ergo nullum excoigitari potest inconueniens, ne plures divinæ personæ possent assumere unam numerò humanitatem, vel ut possit una sola persona divina assumere plures humanitates.

manitatem, vel ut possit una sola persona divina assumere plures humanitates.

720. Probatu 2. Personalitas Verbi divini defacto terminat duas naturas, nempe divinam, & humanam; ergo etiam poterat terminare duas humanas. Probatu conseq. quia infinita personalitas Verbi ex eo, quod compleat substantialiter unam naturam, non limitatur, ne simul possit substantialiter complere alteram, sic licet terminet infinitè naturam divinam, potest adhuc terminare humanam, pariter natura humana, licet compleatur substantialiter ab una personalitate infinita, ut in ea persona subsistat, non impeditur, ne simul terminetur ab altera, ut in altera quoque subsistat, cum enim in natura humana ea potentia sit tantum obedientialis; ex eo, quòd obediatur elevatione unius personalitatis, non redditur impotens obedire simul elevationi aliarum personalitatum; ergo de potentia absoluta possunt tres divinæ personæ assumere eandem numerò humanitatem, atque è converso una sola persona divina potest assumere tres humanitates.

721. Probatu 3. Et præoccupantur responsiones Adversariorum; si repugnaret, quòd tres personæ divinæ assumerent eandem numerò humanitatem, vel è converso, exinde esset quia in eo casu, neque tres personæ assumentes eandem humanitatem possent dici unus homo, neque plures homines, quod idem esset, si eadem persona plures humanitates assumeret, sed hæc ratio non subsistit: nam in eo casu terminus tantum esset homo, ut enim detur multiplicatio huius termini *homo*, duo requiruntur, nempe, & quòd detur multiplicatio formæ, scilicet humanitatis, & quòd detur multiplicatio personæ in ea forma, sic in divinis, eò quòd non detur multiplicatio Deitatis, non possunt dari plures Dii, & in creatia eò ipsò, quòd non detur multiplicatio subsistentiarum, non possunt dari plures homines, ut colligitur ex Mysterio Incarnationis; concretum enim substantiale, & personale dicens expressè, & determinatè formam speciei, ut *homo*, hæc duo requirit ad sui multiplicationem, nempe & multiplicationem suæ formæ, sive humanitatis, à qua formaliter constituitur homo, & multiplicationem personæ, in qua subsistat homo distinctus ab altero, sed hæc duo reperiri non possent, quamquam tres personæ assumerent eandem humanitatem; siquidem in eo casu, quamvis multiplicentur personalitates, non multiplicaretur forma hominis, neque etiam reperirentur hæc duo, licet una persona assumeret tres humanitates: siquidem in eo casu non multiplicarentur personalitates, licet multiplicarentur formæ; ergo &c.

722. Confirmatur ex Div. Thoma 3. part. quæst. 3. art. 6. ad 1. ubi ait: dicendum, quòd hac positione facta, scilicet, quòd tres personæ assumerent unam humanam naturam, verum esset

esset dicere, quòd tres personæ essent unus homo propter unam naturam humanam, sicut & nunc verum est dicere, quòd tres personæ sunt unus Deus propter unam naturam divinam, & art. 7. ad 2. *Posset videri dicendum, quòd prædicta positione facta sequeretur, quòd essent duo homines propter duas naturas, absque eo, quòd essent ibi duo supposita, sicut è converso tres persone dicerentur unus homo propter unam naturam assumptam, ut supra dictum est, sed hoc non videtur esse verum, quia nominibus utendum secundum quod sunt ad significandum imposita, quod quidem est ex consideratione eorum, que apud nos sunt, & ideo oportet juxta modum significandi, & consignificandi, considerare ea, que sunt apud nos, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluralitatem dicit, nisi propter pluralitatem suppositorum; homo enim, qui est duobus vestimentis indultus, non dicitur duo vestiri, sed unus vestitus duobus vestimentis, & qui habet duas qualitates, dicitur singulariter aliquis secundum duas qualitates, natura autem assumpta, quantum ad aliquid se habet per modum indumenti, licet non sit similitudo quantum ad omnia, ut supra dictum est, & ideo si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo habens duas naturas humanas; Ex quibus apparet, ad multiplicationem concreti substantialis juxta expressionem formæ communis secundum significationem ab omnibus impositam ea duo requiri, nempe & multiplicationem formæ communis, & multiplicationem personæ: atqui hæc duo non darentur, si tres personæ divinæ assumerent unam numerò humanitatem, siue eadem persona assumeret tres humanitates; ergo in eo casu non posset dici tres homines, sed unus tantum homo, vide num. 733.*

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

723. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: personalitas Verbi præcisè secundum se nullam dicit perfectionem; ergo non potuit præcisè secundum se uniri immediatè, terminare, & perficere humanitatem. Resp. nego antec. quia personalitates divinæ habent perfectionem simpliciter infinitam, ut dixi cum Exim. Doctore de Trinitate; si enim divinæ relationes sunt aliquid contradistinctum à puro nihilo, utpote confluentes tres divinas personas realiter inter se distinctas, simulque habent identitatem realem cum natura divina, quomodo dici potest, quòd perfectionem non includant, vel quòd non sint summa perfectio? quidquid enim ratione suæ identitatis virtualis identificentur cum Deo, & Deus sint, summa etiam perfectio sunt; & quis unquam cre-

dat, quòd in creatura ratio substantialis constitutiva personæ sit perfectio creata, ut Adv. verlarii docent, nempe omnes Thomistæ, & quòd in DEO ratio substantialis constitutiva non sit se ipsa perfectio? alii autem petunt ant. negant conseq. quia si apud illos personalitas divina, licet non dicat perfectionem, nihilominus immediatè terminat naturam divinam, sic licet non diceret perfectionem, posset immediatè terminare naturam humanam: ex quacunque autem solutione potius roboratur sententia nostra; nam personalitas divina vi virtutis hypostaticæ terminat proportionalitè naturam humanam, sicut terminat divinam, cum autem naturam divinam terminet personalitas præcisè, exinde personalitas præcisè terminabit naturam humanam, eique immediatè unietur.

Objicies 2. Contra secundam assertionem: speciali modo unita est carni natura divina, ac personalitas Patris, & Spiritus Sancti; atqui personalitas Patris, & Spiritus Sancti unietur mediatè humanitati; ergo natura divina est unita non quidem mediatè, sed immediatè humanitati. Resp. concessa majore, dist. min. est unita mediatè unione substantialitè secundum hypostasim, nego, unionem circumfessionis concedo min. & nego conseq. Ratio est, quia natura divina unita est humanitati unione substantiali secundum hypostasim, quatenus capax est talis denominationis, & identificatur realiter cum hypostasi, quæ immediatè unietur, ex quo dicitur incarnata & assumens; at verò personalitates Patris, & Spiritus Sancti non identificantur realiter, sed potius distinguuntur realitè à personalitate filii immediatè unita. Unde non possunt dici uniri mediatè substantialitè secundum hypostasim, neque possunt dici vere incarnari, aut assumere.

Solum ergo dici possunt uniri immediatè per circumfessionem, quod ita explicat Eximius Doctor, quatenus nempe Pater, & Spiritus Sanctus vi unionis speciali titulo sunt in Christo, ac sint in aliis rebus creatis: nam in aliis solum sunt titulo immensitatis, in Christo autem solum sunt titulo unionis, ut si per impossibile Pater, & Spiritus Sanctus non essent immensi, adhuc tamen essent in Christo, quia in ipso est natura divina identificata cum Patre, & Spiritu Sancto: distinctio enim virtualis intrinseca inter naturam, & personalitatem, atque spirationem passivam, licet facta sit, ut filiatio identificetur cum natura, & non cum paternitate, aut spiratione passiva, non facit, ut identificetur cum natura, quæ non sit natura Patris, aut spirationis passivæ; ac proinde sufficit, ut natura sit mediatè unita in filio, & incarnata, non tamen sufficit, ut Pater, & Spiritus Sanctus, vi identitatis cum natura non essent, ubicumque est natura, licet non essent incarnati, in quo stat illa unio circumfessionis.

726. **Objicies 3.** Ex Conc. Lateranensi sub Martino I. Can. 6. *Si quis non confitetur proprie, & verè ex duabus naturis Deitate, & humanitate secundum subsistentiam unitis inconfuse, & indivisim eundem unum Christum esse, sit condemnatus, & can. 8. si quis non confitetur, proprie, & verè secundum compositionem, id est secundum subsistentiam unitorum, ex quibus verus, & solus existit Christus inconfuse, & indivisè in eo cognita, sit condemnatus;* sed exinde apparet unionem hypostaticam terminatam esse immediatè non tantùm ad personalitatem Verbi, sed etiam ad naturam divinam; ergo terminata fuit immediatè ad complexum ex personalitate, & natura divina. Confirmatur 1. ex Paulo ad Coloss. 2. dicente de Christo: *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ex quo Patres & Concil. inferunt humanitatem Deitati unitam esse, & Deitate delibutam & Concil. Tridentinum sess. 13. cap. 3. definitivè ponit divinitatem in Eucharistia propter unionem; sed hæc vera non essent, si unio non esset immediatè terminata ad naturam, & divinitatem; ergo &c.

727. **Confirmatur 2:** Si unio esset terminata immediatè tantùm ad personalitatem, & non ad naturam divinam, in ratione uniendi intercederet distinctio virtualis intrinseca inter personalitatem, & naturam divinam, sic autem non posset natura divina verè, & propriè dici unita; ergo &c. Probatur min. eò quòd in ratione producendi intercedat distinctio virtualis intrinseca, inter filiationem, & naturam divinam, non potest dici verè, & propriè natura divina producta, quamvis dicatur filiatio producta; ergo si intercederet, hæc distinctio in ratione uniendi, non posset dici natura divina verè, & propriè unita, quamvis diceretur verè, & propriè unita filiatio.

728. **Resp. conc. maj. & nego min.** quia eò ipsò, quòd immediatè uniatur personalitas filii, quæ non potest secum non asserre per identitatem naturam divinam, in qua simul & in natura assumpta subsistat, non potest dici, quòd natura divina non sit verè, & propriè unita secundum personalitatem, licet non sit in se ipsa immediatè unita; nam uniri secundum personalitatem est uniri cum capacitate ad talem denominationem: eò enim ipsò, quòd personalitas unita, quamvis subsistat in natura assumpta, non possit non subsistere in natura divina, ostenditur naturam divinam capacem esse huius denominationis *mediatè unita*, sive unionis secundum subsistentiam, quod idem est; unde ex his definitionibus inferri non potest, quòd natura divina sit immediatè unita, sed oppositum debet inferri, quandoquidem Concil. non dicunt, quod duæ naturæ immediatè uniantur, sed quod uniantur secundum subsistentiam, quod idem est, ac dicere uniri immediatè subsistentiam, qua subsistunt duæ naturæ, ex quo apparet, quod docent Conc.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Toletarum, & Augustinus, nempe Verbum uniri secundum id, quod est proprium filii, & non secundum id, quod est commune toti Trinitati. Hæc autem ratio non militaret respectu sanguinis, si non uniretur Verbum immediatè sanguini, cum Verbum non possit subsistere immediatè in sanguine per identitatem ac proinde subsistit immediatè per immediatam unionem.

729. **Ad primam Confirmationem conc. maj. & nego min.** quia eò ipsò, quòd natura divina sit unita mediatè naturæ humanæ secundum personalitatem secum identificatam, vere dicitur natura humana unita & delibuta divinitate, & quòd in ea habet divinitas, ac proinde, quòd vñ talis unionis in Eucharistia ponatur divinitas. Ad secundam confirmationem: dist. maj. intercederet distinctio virtualis relatè ad denominationem, cujus vi huius Mysterii natura non est capax concedo, relatè ad denominationem, cujus est capax, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ad probationem dist. antec. eò quòd intercedat distinctio virtualis intrinseca relatè ad talem denominationem, cujus natura est capax, concedo, cujus non est capax, nego antec. & conseq. Ratio est, quia denominatio verè, & propriè unita secundum hypostasim nihil asserit, quod repugnet cum identitate reali inter naturam divinam, & personalitates; siquidem per eam denominationem solum significatur per Verbum assumens humanitatem non posse subsistere in humanitate, quin simul subsistat in natura divina, quam secum asserit per identitatem ad subsistendum indefectibiliter in illa; at verò per denominationem veram *producta* sive mediatè, sive immediatè, significatur distinctio realis à producente, sicut Filius distinguitur realiter à Patre immediatè producente, atque ab avo producente mediatè; cum autem natura divina incapax essentialiter sit distinctionis realis à producente, & producto, eò quòd sit prædicatum commune divinis personis, & communia in divinis sint realiter identificata cum omnibus divinis prædicatis, ac proinde cum producente, & producto, eum generante, & genito; exinde clarè apparet, quòd natura divina est incapax denominationis *producta*, non solum si dicatur immediatè, sed etiam si dicatur mediatè producta, licet non sit incapax denominationis *unita*, si dicatur mediatè unita.

730. **Objicies 4.** Cui propriè convenit humanitatem assumere, & incarnari, convenit quoque terminare immediatè unionem humanitatis, quandoquidem assumere est, ad se sumere aliquid ratione unionis in carne, atqui naturæ divinæ verè, & propriè convenit naturam humanam assumere, & incarnatam esse, ut constat ex Nazianzeno Oratione 41. *ubi nunc Christi corpus fuerit, nisi cum ea natura à qua assumptum est, & ex Augustino in Enchyridio cap. 24. dicente: corpus fuisse à divinitate susceptum;* & Theodoro Antiocheno Tomo 5.

Z z 2

Biblio.

Bibliothecæ novæ Colonienſis pag. 3. ubi ait: *juxta definitionem Eccleſiæ duas naturas in unam conveniſſe aſſumente divinitate, aſſumpta vero humanitate.* Ex Bernardo ſcimus 1. in Paſcha: *venerat ad nos divinitas incarnata, calcæata majeſtas;* ex Petro Damiano ſerm. 11. *Virginis uterum novo, & ſingulari partu divinitas humanata ſigillat;* ergo &c.

731.

Confirmatur ex Concilio Remenſi, cujus hæc Verba ſunt apud Baronium tomo 11. ad an. 1148. *Credimus, & conſitemur, ipſam divinitatem, ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicis, incarnatam eſſe, ſed in filio;* unde hæc contradictoria, divina natura non eſt incarnata, damnata eſt cum aliis tribus articulis Gilberti Epifcopi Piſtavienſis; damnata quidem fuit illa propoſitio opera Sancti Bernardi in Concilio Remenſi, ut uberrimè refert Gaufridus Epiftoſa ad Epifcopum Albanenſem apud citatum Baronium; nec obſtat, quod Otho Friſingenſis (cui potiſſimum fidem adhiber, & ſubſcribit Pater Valquez in primam partem diſput. 120. cap. 2.) affirmat lib. 1. de rebus geſtis Friderici Imperatoris cap. 59. Eugenium unicè damnâſſe primum Gilberti articulum de diſtinctione naturæ à Perſonis, reliquos, & inter ipſos quatuor (quæ eſt propoſitio citata) non curâſſe: non inquam, obſtat, quia Gaufrido utpote reſti Religioſo & oculato potior habenda eſt fides, Friſingenſis verò ſcripſit poſt annos ferè 100. à Remenſi, præterea Friſingenſis præſertit propenſionem in Gilbertum, acerbiter in Bernardum, à quo ille convictus, & exinde Bernardum carpit, eumque vocat nimis credulum; unde Gaufrido, & non Othoni ſubſcribit Baronius, ubi ſupra Severinus Rinius in noris ad Remenſe. Illuſtriſſimus Pazenſis tom. 2. annalium Ciſterciienſium eodem anno cap. 3. ſed non poſſet dici natura divina incarnata, ſi non eſſet immediatè unita humanitati; ergo &c.

732.

Reſpondeo diſt. maj. cui propriè convenit primariò & ratione ſui, concedo, ſecundariò ac ratione perſonalitatis, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. quia licèt naturæ divinæ conveniat propriè aſſumere, & incarnari, non tamen convenit primariò, & ratione ſui, ſed ſecundariò, & ratione perſonalitatis, ut docet Divus Thomas citatus num. 716. unde non manet immediatè unita, ſive ratione ſui, ſed mediatè, ſive ratione perſonalitatis. Quamobrem illa tot, & tanta PP. teſtimonia nihil aliud ſignificant, niſi unionem naturæ divinæ ſecundum ſubſiſtentiam, vi cujus natura divina verè, & propriè dicitur aſſumere ſecundariò ratione perſonalitatis, non verò primariò ratione ſui. Ad Confirmationem conc. maj. cum tota ſua eruditione collecta ab Adverſariis, & nego min. quia natura divina, eò quòd unitur humanitati ſecundum hypoſtaſim, verè, & propriè dicitur incarnata; cæterum, quia non unitur immediatè ratione ſui, non poſſet dici incarnata, niſi in filio, quæ de

cauſa ipſum Concilium ab Adverſariis adductum notanter addit ea Verba, *incarnata eſſe, ſed in Filio.* Hæc autem licèt ſatis lint, ut damnaretur articulus ille Gilberti, negantis hanc propoſitionè, natura divina eſt incarnata, nihil referunt ad rem pertinentem, cum exinde inferri non poſſit, quòd natura divina ſit immediatè unita, ſed mediatè ſolum ſecundum hypoſtaſim, quæ eſt doctrina noſtra, & Div. Bernardi expreſſa in ipſo Concilio.

Objicies 5. Natura divina capax eſt unionem, & terminare unionem, & aliquo modo reipſa unitur, & terminat, ut conſtat ex Concilio & Patribus ſuperius adductis; ergo immediatè unitur, & terminat. Probatur conſeq. illa formalitas immediatè unitur, & terminat unionem, quæ reipſa terminat, atque inter ipſam, & unionem nihil ſimpliciter mediat; atque natura divina reipſa terminat unionem, atque inter ipſam, & unionem nihil ſimpliciter mediat; ſiquidem filiaro cum ſit idem cum natura, & ipſa natura ſimpliciter non facit, quòd inter naturam & unionem quiddam ſimpliciter mediet; ergo &c. Confirmatur 1. Non eſt excogitabilis ratio, cur repugnet unio immediatè terminata ad complexum ex natura, & perſonalitate Verbi; ſed talis unio habere, quiddam defecto dicunt Concilia, & Patres de unione hypoſtatica, nempe terminatam eſſe ad id, quòd eſt proprium filii, & non ad id, quòd eſt commune toti Trinitati, atque ſimul eſſe unionem veram, & propriam duarum naturarum; ergo talis eſt defecto unio hypoſtatica. Confirmatur 2. Quamvis naturæ divinæ communi toti Trinitati conveniat identificari cum filio, non convenit toti Trinitati identificari cum filio; ergo quamvis natura divina ſit communis toti Trinitati, ſi ſolum terminet unionem in complexo ex natura divina & perſonalitate Verbi, non convenit toti Trinitati terminare unionem.

Reſpondeo diſt. antec. aliquo modo reipſa unitur, & terminat primariò, & ratione ſui, nego; ſecundariò & ratione perſonalitatis, concedo. antec. & nego conſeq. Ad probationem diſt. maj. quæ reipſa terminat primariò, & ratione ſui, concedo, ſecundariò & ratione alterius virtualitatis, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. quia licèt natura non ſit realiter diſtincta à filiatione, eſt tamen prædicatum virtualiter intrinſecè diſtinctum à filiatione, quòd ſatis eſt, ut filiaro terminet primariò & ratione ſui unionem, quam natura non terminat primariò & ratione ſui, ſed ſecundariò & ratione filiationis, ut sæpe diximus cum Div. Thoma num. 716. Ad primam Confirmationem omitto maj. & nego min. quia ea unio poſſibilis non ſatis eſſet, ut illud complexum unitur duntaxat ſecundum id, quòd eſt proprium filii, & non ſecundum id, quòd eſt commune toti Trinitati, quam quidem tendentiam habet defecto unio hypoſtatica, ut conſtat ex Concilio Toletano, & Auguſtino citatis num. 729. Quia

Quin potius si terminaretur ad totum complexum, secundum quod in illo sunt virtualitates constitutivæ illius complexi, terminaretur & secundum peculiarem unius personæ, & secundum rationem communem toti Trinitati, ac proinde ratione unius virtualitatis diceretur incarnata una sola persona, & ratione alterius dicerentur incarnatæ tres divinæ personæ; cum ergo vi unionis hypostaticæ, quæ defecto datur, neququam dici possint incarnatæ tres divinæ personæ, hæc unio hypostatica, quæ defecto datur, non est talis, qualis esset illa unio possibilis excogitata ab Adversariis.

735. Ad secundam Confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; quia naturam communem identificari cum Filio non stat in solis prædicatis naturæ, sed stat in partiali identitate absoluta se tenente ex parte naturæ, quæ est communis toti Trinitati, & in partiali identitate se tenente ex parte relationum, quæ identitas objectiva non est toti Trinitati communis, ac proinde potest solum inferri ex ea ratione communis naturæ, quod ea objectiva partialis identitas se tenens ex parte naturæ non solum identificetur cum Filio, sed etiam cum Patre, & Spiritu Sancto, licet partialis identitas objectiva se tenens ex parte Filiationis non identificetur cum Patre, neque cum Spiritu Sancto: quin potius cum ista identitas sit terminatio ad intra, non potest eodem modo se habere respectu relationum realiter distinctarum, cum quibus identificatur natura; at verò uniri non est denominatio ad intra, sed ad extra, & quæcunque denominatio ad extra, quæ habetur ratione prædicati communis, eò ipso convenit toti Trinitati. Sic non potest Pater dici omnipotens ab omnipotentia communi, immensus ab immentitate, infinitus, & æternus ab infinitate, & æternitate, quin etiam Filius, & Spiritus Sanctus dicantur omnipotens, immensus, infinitus, æternus, ita ut dici non possint tres immensi, aut æterni, sed unus infinitus, unus immensus, & unus æternus, ut habetur in Symbolo Athanasii; unde si in illo complexo ex natura, & personalitate uniretur ratione sui non solum personalitas, sed etiam natura divina communis toti Trinitati, hæc denominatio ad extra ratione naturæ non posset convenire soli Filio, sed conveniret etiam Patri, & Spiritui Sancto; ac proinde Pater, & Spiritus Sanctus essent defecto incarnati, quod est contra Fidem.

736. Objicies 6. contra tertiam assertionem: si una divina persona assumeret plures humanitates, eò ipso essent plures homines; sed hoc est contra principia nostra: ergo repugnat, quod una divina persona assumere possit plures humanitates. Probatur maj. Ut multiplicetur homo, factus est, quod multiplicetur forma constitutiva hominis, nempe humanitas; sicut ut multiplicentur personæ divinæ, factus est, quod multiplicetur forma personæ, nempe personalitas; sed in eo casu darentur tres formæ,

seu tres humanitates; ergo &c. Confirmatur ex Divo Thoma in 3. distinct. 1. quæst. 2. art. 5. ad 2. ubi ait: si Filius DEI assumeret duas humanas naturas, quamvis utraque illarum haberet rationem accidentis in comparatione ad alteram, & ita plures homines, & non unus homo diceretur: singularitas enim, & pluralitas termini substantivi attenditur secundum humanitatem, vel pluralitatem natura significata per terminum, & non secundum unitatem vel pluralitatem suppositorum: quamvis enim Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint tria supposita, tamen propter unitatem divinæ naturæ, quod significat hoc nomen Deus, dicuntur unus Deus; & artic. 4. ad 6. dicendum: quod, cum termini substantivi significantur, vel consignantur pluraliter ex unitate, seu pluralitatis formæ significata dicerentur tres unus homo, si unam naturam humanam assumpsissent, sicut propter unam naturam divinam dicuntur unus DEUS, & sicut dicitur tota Trinitas unus solus verus Deus, ergo &c.

737. Respondeo nego maj. ad probationem nego maj. quia, ut multiplicetur concretum substantivum v. g. homo, requiruntur duo, nec sufficit solum unum, juxta impositionem hujus nominis homo; quod idem est de quolibet concreto substantivo: requiritur enim, quod multiplicetur suppositum, & quod multiplicetur forma hominis, sive concreti substantivi, ut dixi cum Divo Thoma num. 122. unde multiplicentur formæ, & multiplicentur supposita; sed si multiplicentur supposita, & non multiplicentur formæ, non erunt plures homines; quod idem dicimus de hoc nomine DEUS; ideòque licet in Trinitate dentur plures personæ, quia non dantur tamen plures, sed una sola forma Deitatis, sive una sola indivisibilis Deitas, exinde non dantur tres, sed unus solus DEUS; at verò concretum adjectivum ut persona juxta nominis impositionem non exigit, nisi multiplicationem adjectivi, sive personalitatis, cum à personalitate veniat tota incommunicabilitas suppositi alteri supposito, eaque de causa licet non multiplicetur natura, eò ipso, quod dentur tres hypostases, dantur in DEO tres personæ. Ad Confirmationem conc. antec. & nego consequ. quia Div. Thomas, licet in ea sententia fuerit exponendo Magistrum, at postea eam retractavit in Summa Theologica, & oppositum docuit, ut constat ex ipsius verbis allatis eo num. 722.

738. Objicies 7. Major est unio realis, & substantialis per Incarnationem, quam unio intentionalis per visionem beatam, & quam unio accidentalis per gratiam; atqui non potest una persona divina videri, seu intentionaliter uniri intellectui creato, quin videatur altera, nec potest etiam homini per gratiam accidentalem uniri una persona sine alia; ergo nec potest una incarnari sine alia, ac proinde non poterit una persona assumere plures humanitates, quin easdem assument alia personæ. Confirmatur

1. In DEO omnia sunt communia, præter esse ingenuum, genitum, & spiratum, ut docet Damascenus lib. 1. de Fide cap. 10. atqui esse incarnatum nihil est horum trium; ergo esse incarnatum est tribus personis commune. Confirmatur 2. Ut docent omnes Theologi cum Augustino in Enchyridio cap. 18. opera ad extra sunt indivisa, & communia toti Trinitati; sed incarnari est opus ad extra; ergo &c.

739.

Respondeo dist. maj. major est participatio ejusdem rationis, nego; participatione diversæ rationis, conc. maj. & omnia min. nego consequentiam. Ratio est, quia unio hypostatica solum terminatur immediate ad relativum, ac proinde tantum participat immediate relativum; cumque id, quod convenit personæ ratione relativi, non conveniat toti Trinitati; exinde uniri, licet sit intimior participatio, non convenit toti Trinitati; at verò intuitivè videri convenit DEO ratione primi principii, & ultimi finis, sive ratione prædicati absoluti, uniri etiam homini per gratiam accidentalem convenit quoque ratione naturæ divinæ, quæ est prædicatum absolutum: nam de essentia gratiæ accidentalis est, ut sit participatio divinæ naturæ, cumque, quod convenit DEO ratione prædicati absoluti, non possit minus convenire uni personæ, quam alteri, exinde nulla fieri potest paritas ex visione beatifica, & unione accidentali per gratiam ad substantialem unionem hypostaticam.

740.

Ad primam Confirmationem dist. maj. omnia præter illa sunt communia ad intra, conc. ad extra subdistinguo; si DEO conveniant ratione alicujus ex illis tribus, nego; si DEO conveniant ratione prædicati absoluti, conc. maj. & dist. min. nihil est horum trium, neque convenit ratione alicujus ex his tribus, nego, & convenit ratione alicujus ex his tribus, conc. min. & nego consequentiam; quia cum unum quodque ex his tribus sit peculiare uni personæ, & non commune tribus, id, quod convenit alicui personæ ratione alicujus ex his tribus, non convenit toti Trinitati; unde cum incarnari conveniat Filio ratione suæ personalitatis, quæ genitus est, exinde quoque incarnari non est commune toti Trinitati. Ad secundam Confirmationem dist. maj. opera ad extra sunt communia toti Trinitati in genere causæ efficientis, conc. in genere quasi causæ passivæ, subdistinguo, si conveniant personæ divinæ in ratione prædicati absoluti, conc. ratione prædicati relativi, nego maj. & distincta min. nego consequentiam, quia in genere causæ quasi passivæ potest provenire ab aliquo relativo, quod non est toti Trinitati commune; ac proinde unio hoc relativo, nempe filiatione, non unitur tota Trinitas; at verò in genere causæ efficientis convenit DEO ratione omnipotentis producere ad extra; omnipotentia autem non est prædicatum relativum, sed absolutum, & commune, ac proinde non potest convenire uni personæ a-

liquid efficere ad extra, quin etiam conveniat alteri personæ.

Objicies 8. Si tres divinæ personæ assumant unam numerò naturam humanam, possent mutuo prædicari, dicendo: Pater est Filius, & Filius est Pater; sicut modò dicitur: DEUS est homo, & homo est DEUS; sed hoc est absurdum: ergo &c. Confirmatur 1. Si plures personæ unirentur naturæ humanæ, unirentur in persona, ac proinde fieret una tantum persona; sed repugnat, quòd tres divinæ personæ fiant una tantum persona; ergo &c. Confirmatur 2. Naturæ divinæ convenit ratione suæ infinitatis, posse terminari pluribus personalitatibus; atqui natura humana non est infinita, sed limitata: ergo non potest terminari pluribus personalitatibus. Confirmatur 3. Si natura creata terminaretur personalitate propria, non posset simul terminari aliena; ergo si terminetur una personalitate aliena, non potest simul terminari altera aliena. Confirmatur 4. Una divina personalitas adæquatè explet capacitatem cujuslibet naturæ create, & finitæ in ordine ad reddendam illam subsistentem in alio; ergo non potest in ullo genere causæ pendere simul à pluribus causis totalibus; atqui natura creata haberet effectum formalem subsistentis adæquatè per unam subsistentiam totalem; ergo non potest simul terminari subsistentis trium personarum. Confirmatur 5. ex Anselmo lib. 2. cur Deus homo, ubi ait: *plures enim personæ nequeunt unum, eundemque hominem assumere in unitatem personæ, quare in una tantum persona hoc fieri necesse est*; ergo &c.

Respondeo nego maj. quia licet illa, quæ in Trinitate dicuntur de una persona ratione naturæ communis, dicantur de omnibus personis; at verò, quæ conveniunt uni personæ ratione proprietatis personalis, non dicuntur de illa alia; sic licet dicatur, Pater est omnipotens, Spiritus Sanctus est omnipotens; at dicit non potest, Pater est Filius, Filius est Pater, idcirco si tres personæ divinæ essent verus homo, quæ dicerentur de una persona ratione naturæ humanæ communis, dicerentur de omnibus, ac proinde si Pater ratione naturæ humanæ fuisset passus, & mortuus, etiam Filius diceretur passus, & mortuus; at quæ dicerentur de una persona ratione proprietatis personalis, non dicerentur de altera; unde non diceretur, Pater est Filius, Filius est Pater; quamobrem non esset in forma expositoria iste syllogismus: *hic homo est Pater; sed Filius est hic homo; ergo Filius est Pater*; defectus quippe, seu fallacia arguendi in eo stat, quia, ut syllogismus expositivus concludat, medius terminus in altera saltem præmissa debet sumi virtualiter distributivè; in allato autem syllogismo medius terminus est *hic homo*, & in neutra præmissa sumitur virtualiter distributivè; nam sensus illius majoris: *hic homo est Pater*, non est, *omne, quod est hic homo, est Pater*; in hoc enim sensu major est falla, & neganda, sed sensus est, *aliquis, quid*

quod est hic homo, est Pater. Sensus etiam il-  
lius minoris: *Filius est hic homo*: non est, *Fi-  
lius est omne, quod est hic homo*, sed solum est:  
*Filius est aliquid, quod est hic homo*; ac proin-  
de medius terminus in neutra præmissarum di-  
stribuitur; unde conclusio non procedit, nec  
syllogismus ille est in forma expositoria.

743. Ad primam Confirmationem dist. maj. uni-  
rentur in persona eadem, nego, in diversa per-  
sona, conc. primam partem, & nego secundam  
partem maj. cum min. & conseq. quia in eo ca-  
su, cum personalitates essent diversæ, natura  
uniretur ad subsistendum non quidem in ea-  
dem, sed in diversis personis; sic tres persona-  
litates divinæ cum una natura divina non con-  
stituunt unam, sed tres divinas personas; quod  
desumitur ex ratione concreti substantialis ad-  
jectivi, ut diximus num. 737. Ad secundam  
Confirmationem dist. maj. posset terminari plu-  
ribus personalitatibus obedientialiter, nego,  
naturaliter, conc. maj. & concessa min. dist.  
conseq. pluribus personalitatibus naturaliter,  
conc. obedientialiter, nego consequentiam. Ad  
terciam Confirmationem conc. antec. & nego  
consequentiam; quia natura creata ratione suæ  
limitationis habet, ut non possit subsistere in a-  
lio, quin ex ipsa, & altera fiat aliquid nobilius  
se sola, si subsisteret per creatam subsistentiam,  
quæ etiam est limitata, ex quo jam non sisteret  
in se, sed in alio nobiliori, ac proinde subsi-  
stentia creata non potest aliquid ad se sumere,  
ut altera natura in ipsa subsistat; at personalitas  
divina ratione suæ infinitæ perfectionis habet,  
ut non possit constituere aliquid dignius se ipsâ,  
ideoque nequit impedire, quod altera persona-  
litas æquæ digna constitatur suppositum æquæ di-  
gnum; unde eadē natura potest obedientialiter  
terminari simul utraq; divina personalitate; cum  
enim ea natura ex se habeat capacitatem obedi-  
entialem, quæ æquæ perfecte terminetur ab altera,  
ex nullo capite impediatur, ne possit simul ter-  
minari pluribus divinis personalitatibus.

744. Ad quartam Confirmationem dist. antec. ex-  
plet capacitatem in ordine ad reddendam illam  
subsistentem subsistentiæ ejusdem rationis, conc.  
subsistentiæ diversæ rationis, nego antec. &  
consequentiam; quia cum subsistentiæ divinæ  
sint diversæ rationis; altera enim est ingenita,

altera genita, & altera spirata, non est, cur  
natura humana non retineat capacitatem obedi-  
entialem ad illas diversas rationes sublimitendi in  
alio, qui sit vel Pater, vel Filius, vel Spiritus  
Sanctus. Ad quintam Confirm. nego maj. quia,  
ut suppono ex Philosophia, divinitus potest id-  
em effectus procedere à duplici causa totali;  
si enim defecto idem effectus Consecrationis ad-  
æquatè pender à duplici causa efficienti mora-  
li, casu, quo duo Sacerdotes in eodem instanti  
absolvant formam Consecrationis, cur repugna-  
bit, quod idem effectus possit divinitus pende-  
re adæquatè à duplici causa efficienti physica,  
quin potius, si effectus sint diversæ rationis, ut  
essent in casu nostro, nulla est excogitabilis re-  
pugnancia; eò enim ipsò, quod illæ subsisten-  
tiæ essent diversæ rationis, etiam effectus essent  
diversæ rationis. Ad sextam Confirmationem  
conc. antec. & nego consequentiam; quia An-  
selmus verbis citatis negat, quod plures perso-  
næ possent assumere eundem hominem non ut-  
cunque, sed in unitatem personæ, quod verum  
est; nam casu, quo tres divinæ personæ assu-  
merent eandem humanitatem, non essent una,  
sed tres personæ, quamvis essent unus homo,  
sicut defecto sunt in DEO tres personæ, & u-  
nus DEUS.

745. Objicies 9. Natura rationalis unita personæ  
divinæ debet infra DEUM esse caput, & prin-  
ceps totius mundi; sed repugnans est, & mon-  
struosum, ut in mundo dentur duo capita. Re-  
spondeo dist. maj. esset caput, & princeps totius  
mundi relatè ad naturas inferioris dignitatis, C.  
relatè ad naturas exaltatas ad æqualem dignita-  
tem, & perfectionem, nego maj. & dist. min.  
est repugnans, & monstruosum, ut in mundo  
dentur duo capita sine legitima autoritate,  
conc. cum autoritate legitima, nego min. &  
consequentiam; quia, sicut defecto non est  
monstruosum, quod dentur tres personæ divi-  
næ habentes eandem autoritatem, & dignita-  
tem, ita tunc non esset monstruosum, quod  
darentur tres humanitates assumptæ ab eadem  
persona divina, siquidem tunc eæ humanitates  
essent exaltatæ ad æqualem dignita-  
tem, & legitimam autori-  
tatem.

\* \* \*

## DISPUTATIO XVII.

### DE PRÆDEFINITIONE CHRISTI UT REDEM- PTORIS.

746. Disputatio ista radix est plurium controver-  
sationum, ex quibus pender designatio mo-  
tivi, seu causæ finalis Incarnationis: qui enim  
consent, Verbum non aliter assumpturum hu-  
manitatem, nisi ad redimendum per passionem  
suam genus humanum, nec decere DEUM  
prædefinire Christum ut Redemptorem ante

absolutam prævisionem peccati; exinde colli-  
gunt, Christum non fuisse à DEO prædefini-  
tum, nisi post absolutam prævisionem peccati;  
alii verò, qui consent, ejusmodi prædefinitio-  
nem non dedecere DEUM, quamvis admit-  
tant, primum decretum fuisse de Christo ut  
Redemptore, tamen constanter tenent, præ-  
defini-